





17/12.

1712 46

CENTURIAM  
SELECTARVM  
OBSERVATIONVM  
FORI ECCLESIASTICI

PRAESIDE

MICH. HENR. GRIBNERO, D.

P. P.

D. XVI. APRIL. MDCCXII.

PVBlico EXAMINI SVBMITTET

JO. SIGMVND WINDE,

LVBENAV. LVSAT.

---

VITEMBERGAE,

LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI ACAD. TYP.



SELECTIONVM

ORSERVATIONVM

FORI ECCLESIASTICI

PLACIDE

MICHAELIS GRUBER D.

PLACIDE

PUBLICO EXAMINI SUBMITTIT

JOSEPHUS WINDL

PLACIDE

PLACIDE

JOSEPHUS WINDL





Constitueram prius quam Academiam hanc relinquerem, publico specimine studiorum meorum rationes reddere iamque in argumento *de domino directo vasalli tutore* discutiendo occupabar, sed dum expectatione celerius maturare abutum iubeor, differendum mihi in aliud tempus fuit, quod per angustiam temporis persequi non licebat, institutum. Interim *Centuriam Observationum Selectarum Fori Ecclesiastici* Tibi, Lector B. exhibeo, quae amplam satis disputandi materiam suppeditare posse videtur. *Paraphrasin* singulis adiciere & festinatio prohibuit & nunc quidem superuacuum esse duxi. Dabo eam tamen forte alio tempore, & ipsas etiam *sententiarum formulas*, si otium nactus fuero, adscribi curabo.

I. *Sponsalia sine testibus* contracta iure communi pro clandestinis haberi nequeunt. ita respondit *F. J. V. ann. 1711. M. Jan.*

II. Sed & ubi testes sponsalibus adhibendi sunt, *rogatio* tamen eorum non requiritur pro forma, sed praesentes eos fuisse satis est. Sic iudicavit *ead. F. J. V. ann. 1711. in Causa T. H. contra E.*

III. *Sponsalia* absque testibus contracta iure Sax. El. non subsistere, *si parentes*, qui in ea consenserunt, *praesentes non fuerint*, *C. W. respondit ann. 1692.* Sed contrariam sententiam *Jd. an. 1699.* approbavit. Nos priorem sententiam Ordinationi Electorali magis, quam alteram conuenire tantisper tuebimur.

IV. Nec inter absentes iure nostro *per literas* rite contracti sponsalia putamus, nisi duo testes adhibeantur, qui literis subscribant. *Ita Titio Scacuolae respondit C. W. an. 1684.*

V. *Pater*, qui semel in filiae sponsalia consensit, ob dissen-  
sum matris, praestitum *consensum* *reuocare* nequit. ita *Scab.*  
*Witteb. M. Nou. an. 1709. pronunciarunt.*

VI. Si de *parentum consensu* non satis constet, facilius ipsi  
ad iuramentum purgatorium, quam pars altera, quae consen-  
sisse eos affirmat, ad supplementarium admittendi sunt, cum aga-  
tur de facto ipsorum proprio. Ita *F. J. W. an. 1707. M. Aug.*

VII. Consensum *curatorum* ad sponsalia minorum etiam  
apud Saxones non requiri, uulgo traditur. uid. *CARPZ. Lib. II.*  
*Def. 46. HEIG. P. I. Qu. 22.* Sed leges Electorales aliud ob-  
seruari debere nobis persuadent. vid. *Ord. matrim. punct. V.*  
*S. ersstlich. §. Art. gen. XIII.*

IX. Sponsalia *intra tempus luctus* contracta, irrita esse,  
pronunciarunt *Scabin. Witteb. ann. 1676.* teste *BEYERO Diss.*  
*de Legat. liberat. ab indeb. Corol. VII.* Ast ualida ea esse ue-  
rius est; quod placuit *Consist. Witteb. ann. 1710. Add. CARPZ.*  
*Lib. II. Def. 161.*

IX. Quamuis *sponsalia clandestina per concubitus* in ma-  
trimonium transire censeantur, stuprata tamen stupratori, cui  
per clandestinam desponsationem de matrimonio fidem de-  
dit, inuita nubere non compellitur. Ita censuit *C. W. an. 1710.*  
*M. Dec.* Vnde nec sponsus sponsae super stupro *iuramen-*  
*sum* potest deferre: quamadmodum *Jd. Consist. pronuncia-*  
*uit an. 1709. M. Maj. in causa C. H. contra M. H.*

X. Ex quo consequitur, *sponsam*, quae post sponsalia clan-  
destina, eademque concubitu confirmata, ab alio se stuprari  
patitur, *tanquam adulteram puniri non posse*; cum in arbitrio  
ipsum sit, utrum cum stupratore matrimonium consummare  
uelit, quod detrectasse censetur, quae alii postea corporis cor-  
pam fecit. Atque ita *Scabin. Witteb. an. 1710. M. Maj. cen-*  
*suerunt.*

XI. *Sponsalia conditionata* accedente concubitu in matri-  
mo-

monium transeunt; at ob praecedentem concubitum sponsalia sub conditione inita pro puris haberi nequeunt. C. W. an. 1710. M. Sept. in causa S. contra G. Add. tamen CARPZ. JPr. Conf. Lib. II. def. 23.

XII. Itaque etiam clandestina ob stuprum desponsationem praecedens pro puris sponsalibus non puto haberi posse, quamvis contrarium vulgo teneant. quam sententiam C. W. placuisse ann. 1710. observavi.

XIII. Extra Saxoniam sponsalia priora eademque publica praeferruntur posterioribus, quamvis ad haec concubitus aut copula sacerdotalis accesserit. Ita F. J. W. ann. 1711. M. Jan.

XIV. Quin imo uxor, quae cum alio antea publica sponsalia contraxit, à sponso priore repeti, & imprimis si post inhibitionem nupserit, lite pendente sequestrari potest. Ita F. J. V. in ead. causa iudicavit.

XV. Sicuti sponsalia sine curatore a muliere contrahi, ita etiam absque curatore iis renunciari potest. Vnde hanc renunciationem ualidam censuit C. V. ann. 1674.

XVI. Facilius sponsalia longe, quam matrimonia dissoluntur: iusta itaque repudii causa est, si sponsus aliam sponsam ambiat, aut se sponsam non ducturum esse fuerit professus. Ita uisum fuit C. W. an. 1710. M. Jun. in causa L. W. contra J. G. B. & Fac. Jur. Vit. eod. ann. M. Oct.

XVII. Ob inimicitiam eandemque capitalem dissolui possunt sponsalia, quamvis sponsus contumax & de stupro & de desponsatione pro confesso & convicto habitus fuerit; quemadmodum respondit C. V. ann. 1668. ad Consultationem B. S.

XVIII. Sed haec in confessione ficta forte obtinent. nam si de publica desponsatione constet, ad eandemque concubitum accessisse partes confiteantur, illa nec utriusque consensu, nec ob inimicitiam capitalem dissolui posse, eid. Consist. recte placuit, ann. 1708.

XIX. Quamvis pubertas iure nostro ex aetate potissimum aestimetur, si tamen sponsa matrimonio sit habilis, etiam ante legitimum tempus accedente *Principis dispensatione* nuptias contrahere eam posse respondit *C. W. ann. 1708. M. Febr.*

XX. Equidem iure Sax. unilaterales in successione uno gradu, quam bilaterales remotiores esse censentur, id tamen ad prohibitiones nuptiarum applicari nequit. Nam qui ex bilateralibus descendunt, nuptias contrahere possunt, si sint in tertio gradu aequali constituti, unilaterales in gradu tertio eodemque inaequali nequeunt. Atque ita respondisse *JCros Lips.* ab aliis relatum accepi.

XXI. Sicuti matrimonium ob impotentiam ab initio existentem nullum est; ita etiam non subsistit, si tempore matrimonii contrahendi una pars foedo morbo laboret, qui cohabitationem ita impediatur, ut absque uitae periculo coniuges cohabitare nequeant. Idemque obtinet, licet pars altera uirii illius gnara fuerit. Ita consultus *Theologorum & JCtorum Ordo* respondit *M. Mart. 1710.*

XXII. Super impotentia iuramentum deferri potest: neque interest, utrum ab impotente, an ab altero coniuge deferatur. Ita *C. W. ann. 1695. & F. J. W. ann. 1710.*

XXIII. Ob ueneficium attentatum non diuortio, sed tantum separationi à mensa & thoro locus est. Ita *F. J. W. M. Jul. 1707.* Aliam esse *JCtorum Jenensium* sententiam, ex *LYNCKERO Cent. 1. dec. 71.* apparet.

XXIV. Neque iusta diuortii causa est, si uxor ob delictum sustigata & perpetuo relegata fuerit. *C. W. ann. 1710.* Diss. *BODIN. de Diuort. ob delict. Coniug. th. 16. & 19.* Ut uix desertionis processus contra huiusmodi coniugem institui possit, nisi de animo deserendi aliunde constet.

XXV. Facta separatione à mensa & thoro maritus uxori alimenta tenetur praestare, etiamsi separatio facta sit  
ob



ob utriusque culpam. Ita *F. J. V. ann. 1707. M. Jul. 5<sup>o</sup> ann. 1711.*

XXVI. Neque per separationem à mensa & thoro maritus ius usufructus amittit, si modo alimenta uxori praestet. Ita *F. J. V. M. Jul. 1710.*

XXVII. Liberi separatorum coniugum regulariter educandi sunt apud parentem, ex iusta causa tamen educatio matri relinqui potest. Sic *F. J. V. M. Jul. an. 1707.*

XXVIII. Nepotem spurium avus paternus alere tenetur, etiamsi mater eidem alimenta praestare possit; cum hoc onus ei regulariter incumbat, non demum in subsidium: quem in modum pronunciarunt *Scabin. Lips. M. Dec. ann. 1708.* in causa S. J. contra H. W.

XXIX. Immo & praeteriti temporis alimenta filio naturali praestita mater à parentibus stupratoris iure suo repetit, nisi de donandi animo liquido constet. Secus *Scabin. Lips. pronunciarunt d. Mens.* quorum sententiam confirmarunt *ICTi Lips. M. Maj. ann. 1709.*

XXX. Multo minus ergo onus hoc alendi liberos ad aviam, siue paternam, siue maternam, pertinet, si avus superfit; sed contra hunc solum instituenda est actio, cum ad aviam in subsidium demum necessitas alendi liberos pertineat. Ita *C. W. ann. 1710. M. Aug. in causa S. contra M. & Fac. Jurid. Lips. ann. 1710. M. Jul. nec non F. J. W. eod. ann. M. Oct.*

XXXI. Leges, quae infantem initio VII. mensis natum legitimum declarant, etiam illegitimis liberis profunt, saltem ut eo tempore editi alimenta à stupratore postulare possint; quem in modum pronunciauit *C. W. ann. 1708. M. Sept. in causa R. K. contra H. G. T. eandemque sententiam Scabin. Lips. leutatione interposita confirmarunt.*

XXXII. Perinde etiam spurio, qui initio XI. mensis nascitur, alimenta denegari nequeunt; quod *eid. Confess. placuit ann. 1708. in causa M. F. contra D. R.*

XXXIII.

XXXIII. Spurius una cum alimentis sumtus ad obtinendam legitimationem necessarios iure suo petit, cum sine his commode uix se exhibere possit. Ita *C. W. ann. 1708.* censuit. Quamuis hi non statim praestandi ueniant, sed tunc demum, si ad eam aetatem filius peruenerit, ut opificio addiscendo aut alii uitae generi eligendo sit idoneus.

XXXIV. Sepulturae etiam sumtus a stupratore mater recte exigit, cum hos quoque praestare teneatur, qui ad alimenta exhibenda obstrictus est, pater naturalis. Ita *C. W. in causa M. S. contra G. K. M. Sept. ann. 1710.*

XXXV. Quamuis iure Saxonico dos ab adultero peti non possit, ad alimenta tamen filio ex adulterio suscepto praestanda recte compellitur. Ita *F. J. W. M. Jun. & Non. 1710.*

XXXVI. Ab alimentis praestandis stupratorem non liberat, quod mater cum aliis quoque tempore gestati partus concubuerit; si modo pater non sit plane incertus, & probabili saltem coniectura de eo constet. Ita *F. J. V. ann. 1710. M. Mart.*

XXXVII. Stuprata, quae cum stupratore transegit ratione dotis, sed postea transactionem impugnat, non audienda est, antequam pecuniam ex transactione acceptam restituerit. Infanti tamen ea transactio non obest, quo minus alimentariam actionem instituire possit. *C. VV. ann. 1710. in causa L. contra R.*

XXXVIII. Si filio naturali alimenta petenti exceptio stupri a matre cum aliis commissi obiciatur, iuramentum hoc a matre eademque tutrice praestari posse nullus dubito. Atque ita censuit *C. VV. ann. 1710. M. Sept.*

XXXIX. Non audiendus est pater naturalis, si in fine decimum anni cuiuscunque alimenta filio praebere uelit, sed arbitrio iudicis ut singulis mensibus aut septimanis ea praestet, immo etiam praenumeret, compelli potest. *C. VV. ann. 1710. M. Oct.*

XL. In

XL. In actione, quae alimentorum causa instituitur à spurio, matrem pro filio testimonium dicere posse, placuit *ICTIS Vit. ann. 1710. M. Iun.*

XLI. Immo filiam quoque in huiusmodi causa ad dicendum contra patrem testimonium compelli posse, in primis si ueritas aliter haberi non possit, existimauit *C. VV. ann. 1710. in causa M. contra M.*

XLII. Ob alimenta spurio nondum praestita, non potest suspendi aut impediri copula sacerdotalis, saltem si cautio eorum nomine praestetur, quam exigendam esse duxit *C. VV. in causa N. contra K. M. Oct. 1710. conf. CARPZ. Lib. II. def. 171.*

XLIII. In concursu creditorum alimenta etiam per sententiam decreta spurio petere nequit; cum sententia huiusmodi conditionem tacitam contineat, si pater de suo alimenta praestare possit, ac ne legitimi quidem liberi ea à creditoribus parentum sibi praestari iure postulent. Ita *F. I. VV. ann. 1710. M. Sept.*

XLIV. Iuuenis, qui à muliere ad stuprum seductus est, donationem propter nuptias ab ea postulare nequit, ex sententia *C. VV. ann. 1711. M. Iun.* quamuis *SCHOEPFFERO de Iur. Iuuen. Virgin. Cap. IV. n. 45.* ita visum fuerit, qui & *ad Digesta tit. de Iur. Dot. n. 29.* Morgengabam a vidua iuuenem exigere posse frustra contendit.

XLV. Sicuti matres, quae tutelam liberorum suscipiunt, secundis nuptiis renunciare tenentur: ita & renunciatio futurarum nuptiarum a matre filii naturalis, quae eius tutelam suscipere cupit, exigi potest, cum haec quoque tutela per superueniens matrimonium finiatur. *a. L. 3. C. quand. mul. tut. quod obseruatum fuit a C. VV. ann. 1710. M. Aug.*

XLVI. Jure communi, etiam contra matrimonium iusiurandum deferri posse recte iudicauit *F. I. V. ann. 1711. M. Ian.* at nostro iure aliud obtinere plerique credunt *a. Ord. Eccl. tit.*

*tit. von Ehe-Sachen. rubr. Von Ehe-Gelöbnissen. §. Wo auch zwei Personen.* Quamvis eam non existimem obstare, quo minus super sponsalibus publicis iuramentum deferatur.

XLVII. Vbi iuramenti delatio super matrimonio non admittitur, ibi nec deferri potest iuramentum super circumstantiis, quæ conjecturam aut præsumptionem matrimonii promissi pariunt, ac suppletorio uel purgatorio iuramento occasionem præstare possunt. Ita *Jctis Wittenb. ann. 1711.* uisum est: cum contrarium *Lipsensibus* placuisset, qui locum reliquerant delationi iuramenti.

XLVIII. Fatale oblationis ad iurandum in causis matrimonialibus non observari ex *O. P. S.* satis patet; quæ Constitutio etiam ad casum pertinet, quo super exceptione (e. g. stupri) actricia reo iuramentum delatum est. Ita *C. W. ann. 1710. M. Sept.* in causa *C. S.* contra *H. G. B.*

XLIX. Quin imo idem obtinere in actione a stuprata contra stupratorem instituta, qua aut dotari se, aut in matrimonium recipi poscit, cum hæc quoque causa quodammodo matrimonialis sit, & reus, quam dotare nequit, uxorem ducere compellatur, *Eid. Consist.* placuit *M. Maj. an. 1710.* in causa *C. E. P.* contra *J. H.* Quamuis aliter *Eid.* uisum fuerit in causa *R. M.* contra *R. an. 1710. M. Marr. ut & Scabinis Lips.* in ead. causa *ead. Mens.*

L. In eadem actione tam actori, quam reo restitutio in integrum conceditur. Ita *C. W. saepius, & ann. 1710. M. Oct.* in causa *M. H.* contra *G. V.*

LI. Generalis delatio iuramenti super exceptione stupri non admittitur; quemadmodum pronunciarunt *Jcti Lips. ann. 1710. M. Jul.* in causa *M. W.* contra *H. W. & Fac. Jurid. Viremb. M. Oct. eod. an.* Non tamen necesse est, ut aut persona aut dies uel mens accurate exprimatur, modo demon-  
stra-

Ratio qualiscunque suppeditetur. Ita *C. W. ann. 1710. M. Sept.* in causa M. E. L. contra D. R. Compara BERGER. *El. Matrim. p. 300. & CARP. Lib. II. def. 239. in praes.*

LII. Cautio pro reconuentione etiam in actione matrimoniali exigere potest, in primis si allegetur probabilis reconuentionis causa: saltem pro expensis, cur cautio postulari nequeat, rationem idoneam uix afferri posse putamus. Itaque haec cautio iniuncta fuit a *F. J. W. M. Jan. 1711. & a C. W. M. Mart. eod. ann.*

LIII. In causis matrimonialibus interrogatoria, inuita parte altera, non debent admitti, cum summario processu tractentur, in quo interrogatoriis, nisi producens consentiat, non est locus. Ita *Collegia Witteb. tenent. Diss. CARPZ. Lib. III. Def. 28.* cuius sententiam *Collegia Lipsiensis* nunc quoque seruant.

LIV. Actio matrimonialis instituenda est coram iudice ecclesiastico eius loci, cui tempore instituendae actionis reus subest, quamuis sponsalia alibi contracta fuerint. Neque enim locus, ubi celebrata sponsalia sunt, fori competentiam tribuit. *C. W. ann. 1710. M. Aug.*

LV. In actione matrimoniali etiam is, qui praestito iuramento purgatorio uel suppletorio absolvitur, in expensas quandoque condemnari potest. Ita *C. W. ann. 1710.* in causa K. contra K.

LVI. Contra aliquando etiam reus in expensas condemnatur, quamvis actor demum praestito iuramento purgatorio causam obtinuerit, e.g. si purgatorium super exceptione stupri non tam ob indicia urgentia, quam ob metum incestus fuerit iniunctum. Ita *C. W. M. Aug. ann. 1710.* in causa F. contra R.

LVII. Renunciatio actionis matrimonialis non potest fieri coram iudice seculari. Ita censuit *C. W. ann. 1710. M. Oct.*

LVIII. Debitor ecclesiae, qui ex aerario ecclesiastico mu-

num accepit, conveniri potest coram Consistorio ecclesiastico. Ita *C. W.* in causa *D. V. §. J.* contra *J. T.* *ann. 1711.*

LIX. Actio locati, quae contra conductores praedii ecclesiastici movetur, instituenda est coram iudice ecclesiastico, licet conductor a libi domicilium habeat. *F. J. W.* *ann. 1710. M. Aug.*

LX. Ob salarium advocato non praestitum conveniri potest laicus in foro ecclesiastico, si causa principalis, ex qua salarium debetur, ibi perorata fuerit. Ita *C. W.* *M. Oct.* *ann. 1710.* in causa *D. K.* contra *C. W.*

LXI. Ecclesia contra lapsum fatalium in integrum restituitur, licet administratores, qui illa neglexerunt, non sint excussi. Ita *F. J. W.* *ann. 1709. M. Febr.*

LXII. Administratores aerarii ecclesiastici, qui sunt ex universitate, ad dicendum contra eam testimonium pro ecclesia compelli nequeunt. Ita visum est *C. W.* *ann. 1711.* in causa *Mag. T.* contra *D. G. §. S.*

LXIII. Equidem in causis summarissimis iudices testes Consistorii sistere tenentur, *Ref. Gr. d.* *ann. 1661. gr. XI.* verum hoc ad quascunque causas, quae summario processu transantur, extendi nequit. Ita *C. W.* *ann. 1710. M. Dec.* in causa *F.* contra *O.*

LXIV. Quamvis clericis ius braxandi regulariter non competat, nisi ad usus proprios, auf den Tisch-Trundt / prohibitions istae tamen ad Capitula & alia Collegia ecclesiastica extendi nequeunt. *F. J. W.* *ann. 1710. M. Mart.*

LXV. Commendae *die Comptureyen* / & Baliinae etiam apud Protestantes gaudent beneficii & privilegii ecclesiarum. Vnde non alia, quam *XL.* annorum praescriptio contra eas locum habet. Ita iudicavit. *C. W.* *ann. 1710. M. Maj.*

LXVI. Praebenda patronata, quam uocant, resignari nequit in fauorem tertii sine patroni consensu. Ita *F. J. W.* *ann. 1707. M. Oct.* & *ann. 1708. M. Jun.*

LXVII.

LXVII. Si emphyteutae Capituli singulis Decanis laudemium praestare teneantur, & electus ante confirmationem decedat, laudemium ab emphyteutis eius heredibus non debetur. Ita respondit *F. J. V. ann. 1709. M. Jun.*

LXIX. Piiis causis comperit tacita hypotheca ob expensas, ad quas restituendas pars aduersa condemnata est, ex tempore rei iudicatae. *F. J. V. ann. 1709. M. Febr.*

LXIX. Administrator aerarii ecclesiastici ex suo debito usuras usurarum praestare tenetur. Ita placuit *C. W. in causa D. V. 3. J. contra J. D. E. ann. 1710. M. Oct.*

LXX. Aeditui, Organistae non gaudent priuilegiis clericorum, nisi sint confirmati. Vnde nec lucrum cereuisiarium percipiunt, & a patrono sine causa dimitti possunt. Ita *C. W. ann. 1706. M. Nou.*

LXXI. Parochiani pastori suo quotannis panem praestare iubentur, *u. Syn. Decr. S. 66. & 69.* A qua praestatione non liberantur, si per xxxi. annos panes nec exacti nec praestituti fuerint; siquidem haec immunitas solo temporis lapsu non acquiritur, nisi exactio praecesserit & denegatio praestationis. Ita *C. W. in causa J. G. F. contra D. G. 3. L.*

LXXII. Ad sumtus litis, quam uniuersitas instituit ob ius pascendi, nihil quidquam confert parochus, licet ipse quoque exinde utilitatem percipiat. Ita *C. W. ann. 1710. M. Jul.*

LXXIII. Contra ludimoderatorem, qui sibi ius pascendi in pascuis uniuersitatis asserit, actio negatoria institui nequit. *fac. Art. gen. 40.* Atque ita iudicauit *C. W. ann. 1710. M. Nou.*

LXXIV. Parochiani decimas tenentur deferre ad aedes pastoris. Ita respondit *C. W. in causa D. Pf. 3. R. contra D. Windmüller daselbst.*

LXXV. Nummos, quos incolae pastori solunt, den **Sausler Groschen** non tenentur persoluerre liberi, qui conuictu parentum utuntur, **so an der Eltern Tisch und Brod**

**Brod sind**/licet ipsis operas haut praestent; neque parentes, qui praedia liberis uendiderunt, & eodem cum iisdem conuicti, quamuis non gratuito, utuntur. Ita censuit *C. W. ann. 1710.* in causa *J. F. contra D. G. 3. S.*

**LXXVI.** Ne quidem ecclesia pro operis pecuniam exigere potest, etiamsi operis non indigeat. *F. J. W. ann. 1708. M. Dec.*

**LXXVII.** Neque pastori integrum est a parochianis, loco conuicti, pecuniam **Speise-Geld** exigere. Ita *F. J. W.* in causa *C. S. contra D. G. 3. K. ann. 1710. M. Febr.*

**LXXVIII.** Honorarium, quod pro concione funebri pastori solui consuevit, in concursu creditorum in eadem cum caeteris funeris sumtibus classe collocandum est; quemadmodum recte censuit *F. J. W. ann. 1708. M. April.*

**LXXIX.** Licet clerici in causa salarii gaudeant beneficio restitutionis in integrum, iuxta *BERGERVM in El. Proc. p. 1503.* hoc tamen ita demum obtinet, si causam officii agant: Vnde secus est, si salarium praeteritorum annorum, aut deposito officio sibi praestari postulent. Ita *C. W. ann. 1710. M. Sept.* in causa *G. M. contra D. V. 3. B.*

**LXXX.** Filialitae in matre confiteri tenentur, nisi praescriptione aliud introductum sit. Vbi tamen tempora, quae *Decr. Syn. nouiss.* antecesserunt, cum sequentibus coniungi nequeunt; siquidem illo *Decreto* praescriptio interrupta fuit. Ita *C. W. ann. 1710. M. Jul.*

**LXXXI.** Qui habet duo domicilia & in duobus locis parochianus est, confessionarium sibi, in quo uult loco, eligere potest, nisi in uno fere perpetuo commoretur. *C. W. ann. 1710.*

**LXXXII.** Parochiani confessionarium sine consensu Confistorii mutare nequeunt, quemadmodum *F. J. W. ann. 1710. M. Febr. & C. W. ann. 1670. & 1681.* respondit. Immo huiusmodi concessionem strictissimae sunt interpretationis; unde ad uxorem, liberos & familiam extendi non debent. Ita *C. W. ann. 1710. M. Nou.*

**LXXXIII.**



LXXXIII. Nummus confessionarius in concursu creditorum peti non potest, saltem ubi quantitas eius non est determinata. Ita *Scab. Vir. M. Nou. 1710.*

LXXXIV. Reditus anni gratiae etiam debentur clerici filio, qui ipse patris collega est, & in eadem ciuitate clerici munere defungitur. Ita responsum Alethophilo a *F. J. W. ann. 1710. M. Sept.*

LXXXV. Durante anno gratiae substitutus ex praestationibus, quas uulgo Accidentien appellat, plus uindicare sibi nequit, quam uiuo parochi acceperat. Ita *C. W. ann. 1710. M. Aug.*

LXXXVI. Lucrum cereuisiarium, *der Bier = Steuerz Seddel*, in anno gratiae pro dimidia parte ad uiduam & liberos defuncti, pro altera ad successorem pertinet. Quamuis enim stato tempore praestetur, soluitur tamen pro laboribus integri anni. Ita *C. W. ann. 1710.* respondit.

LXXXVII. In anno gratiae substitutus prouisionem suam retinet, & tantum uiduae ac liberis decedit. Ita *C. W. ann. 1708. M. Dec. & ann. 1710. M. Aug. & M. Oct.*

LXXXVIII. Viduae superintendentis intra annum gratiae debentur non tantum accidentia pastoratus, sed etiam superintendaturae. uid. *Rescr. El. ad C. W.* quod *ZIEGLER* exhibet in *Superintend. p. 270.*

LXXXIX. Si defunctus duplicatas portiones acceperit, heredes eius intra annum gratiae simplici portione non tenentur esse contenti. *F. J. V. ann. 1710. M. Sept.*

XC. Non obligat heredes promissio parentis, qui in officio ecclesiastico, quod nondum uacabat, alicui spem succedendi fecit. Ita *C. W.* iudicauit in causa *M. contra L.*

XCI. Clericus ob adulterium ante quinquennium commissum ab officio remoueri nequit, cum ab hac quoque poena praescriptio eum liberet. Ita *F. J. V. M. Jan. 1711.*  
ad

ad Capitul. H. In aliam tamen sententiam pronunciarunt  
*Juri Erford. in ead. caus.*

XCII. Poenitentiae ecclesiasticae loco multa dictari potest etiam stupratae, quae plus una vice hoc crimine se poluit, quamvis augeri quantitas pecuniariae poenae eo casu possit. *C. W. ann. 1710. M. Nou.*

XCIII. Causae subfelliiorum ecclesiasticorum fori ecclesiastici sunt, etiam si de possessorio tantum contendatur. *F. J. V. ann. 1710. M. Oct.*

XCIV. Aut de jure proedrias in subfelliis ecclesiasticis agatur. Ita *C. V. ann. 1710. in causa M. contra K.*

XCv. Jus proximiseos, quod heredibus defuncti prae extraneis competit in subfelliis ecclesiasticis, etiam proximis cognatis eorum, qui domicilium & parochiam mutant, non denegandum uidetur. Ita *F. J. V. d. Mens.*

XCVI. Exerceri tamen ius hoc nequit, nisi quis subfellium, quod antea possedit, derelinquat. Neque enim uni duo subfellia permittuntur. *C. W. ann. 1710. M. Nou.*

XCvII. Vnde nec subfellium ecclesiasticum possidere aut acquirere potest, qui in officio publico constitutus publico subfellio utitur. Ita placuit *C. W. ann. 1710. M. Oct.*

XCvIII. Locari subfellia ecclesiastica regulariter nequeunt, gratuitus usus aliis concedi potest. Ita *C. W. censuit M. Oct. ann. 1710.*

XCIX. Subfellia ecclesiastica ita concedi nequeunt, ut ius alienandi simul transferatur, sed huiusmodi conventiones, eum LL. publicis contrariae sint, inualidae merito censentur. *F. J. V. d. l.*

C. Idque obtinet, licet quis subfellia ipse suis sumtibus extruenda curauerit. Neque enim LL. Saxonicae distinguunt, unde nec nobis distinguendum est. Conf. *F. J. V. d. l.*

F I N I S.

VD<sub>18</sub>

Wittenberg, Diss., 1712 A-H

ULB Halle

3

005 021 618



TA-7 Ol m. 1 Skoll





17/12.  
1712 116

CENTURIAM  
**SELECTARVM**  
OBSERVATIONVM  
FORI ECCLESIASTICI

PRAESIDE  
**MICH. HENR. GRIBNERO, D.**  
P. P.

*D. XVI. APRIL. MDCCXII.*  
PVBLICO EXAMINI SVBMITTET  
**JO. SIGMVND WINDE,**  
LVBENAV. LVSAT.

---

*VITEMBERGAE,*  
LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI ACAD. TYP.

